

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Locus à partium enumeratione. Cap. XXVIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](#)

## 40 DE RHETORICA ECCLES.

in rem non posse conuenire. Utitur Ecclesiasticus orator sàpè definitionibus à sensibus hominum ductis; interdùm autem alienis à vulgi opinionibus, & vulgari loquendi consuetudine, quæ quasi vi expressæ videntur, & animos hominum vel maximè ducunt & mouent, eaq; plerunque ad refellendum, nonnunquam ad confirmandum adhibentur, & ad vincendum valent plurimum. A sensibus hominum ducta ea est definitio vita hominis, quam affert S. Iacobus Apostolus, cùm dicit: Quæ est vita vestra? vapor ad modicum párēs, & deinceps exterminabitur. Ab eodem definitur lingua, vt sit ignis & vniuersitas iniquitatis. Vtetur B. Basilius in oratione contra auaritiam, argumento à definitione, quæ vim quasi afferat, & abhorreat ab opinione multitudinis: probat eum fraudatorem esse, qui, quod sibi supereft, in pauperes non erogat: deinde in alia oratione ad diuites, in qua eorum excusationem ita proposuit, post, argumento à definitione sumpto, redarguit: At te ipsum pauperem esse dicis, et ego, inquit, assentior: pauper enim est, cui multa desunt. vt multarum autem rerum indigetas, insatiabilis habendi cupiditas efficit.

Locus à partium enumeratione.

Cap. XXVIII.

**P**ROXIMA definitioni est partiū enumeratio, quæ non solum ad probandum aliquid, vel ad refellendum est utilis, sed etiam ad amplificandum atque exornandum; cuius rei nobilissimum exemplum est in Ecclesiaste Salomonis ad probandam verissimam illam propositionem: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Eleganter

ter etiā Hieremias propheta probat in solo Deo gloriam-  
dum, enumeratis rebus, in quibus homines gloriari solet:  
Non glorietur, inquit, sapiens in sapientia sua, & nō glo-  
rietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in  
dunitijs suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire &  
nō sse me, quia ego sum Dominus. Versans Ecclesiasticus  
orator in illa questione, quae est maximi momenti, & sapè  
tractanda, mortem nō esse extimescendam, hoc vii pote-  
rit argumento: Nec naturalem, nec violentam, nec glo-  
riosam, nec ignominiosam mortem sancti martyres, &  
tocius sanctitatis author Christus, vt patri obtemperaret,  
fugiendam putauit; nulla igitur mors extimescenda est.

## Locus ab etymologia.

Cap. XXIX.

**A**b etymologia, hoc est, à notatione, orator Eccle-  
siasticus argumentum ducet: nam cùm rerum ap-  
pellationes partim à natura profectae sint, partim lege &  
consensu hominum confirmatae, aliquæ Spiritu sancto di-  
ctante impositæ, singulæ res suis proprijs nominibus ita  
sunt affectæ, vt earum vis & natura, vocabulis ipsis ali-  
quo modo declaretur. Quarè optima ratione ab eo no-  
mine, quo res quæque prædicta sit, argumentum interdum  
sumitur. S. Hieronymus scribens ad Heliodorum mona-  
chum, hoc argumento sic est usus: Interpretare, inquit,  
nomen monachi, hoc est, nomen tuum, quid facis in tur-  
ba, qui solus es? Ex hoc loco sapè verissimam illam sen-  
tentiam confirmare poterit Ecclesiasticus orator, Piorum  
hominum esse, singulis diebus sanctissimo Missæ sacrificio  
interesse, quia Missa, quasi transmissa dicitur, propterea  
quod